

diversa invenitur consanguinitas secundum gradus diversos matrimonium impedisse. In principio enim humani generis solus pater, & mater à matrimonio repelluntur; (2) eo quod tunc temporis erat paucitas hominum, & oportebat propagationi humani generis maximam curam impendere: unde non erant removendæ nisi illæ personæ quæ matrimonio incompetentes erant, etiam quantum ad principalem matrimonii finem, qui est bonum proles; ut dictum est. Postmodum autem multiplicato humano genere, per legem Moysi plures personæ exceptæ sunt, quæ jam concupiscentiam reprimere incipiebant: unde, ut dicit Rabbi Moyses, omnes illæ personæ exceptæ sunt à matrimonio quæ in una familia cohabitare solent: quia si inter eos licite carnalis copula esse posset, magnum incentivum libidini præstaretur. Sed alios consanguinitatis gradus lex vetus permisit, immo quodammodo præcepit, ut scilicet unusquisque de cognatione sua uxorem acciperet, ne successionum confusio esset: quia tunc temporis cultus divinus per successionem generis propagabatur. Sed postmodum in lege nova, quæ est lex spiritus, & amoris, plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti: quia jam per spirituales gratiam, non per carnis originem cultus derivatur, & multiplicatur, unde oportet ut homines etiam magis à carnalibus retrahantur, spiritualibus vacantes, & ut amor amplius diffundatur: & ideo antiquitus usque ad remotiores gradus consanguinitatis matrimonium impediebatur, ut ad plures per consanguinitatem, & affinitatem naturalis amicitia (3) permaneret: & rationabiliter usque ad septimum gradum: tum quia ultra hoc non de facili remanebat communis radicis memoria; tum quia septiformi gratiæ Spiritus Sancti congruebat. Sed postmodum circa hæc ultima tempora restrictum est Ecclesiæ interdictum usque ad quartum gradum; quia ultra inutile, & periculosum erat gradus consanguinitatis prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos quasi nullum foedus majoris amicitiae quam ad extraneos habeatur, charitate in multorum cordibus frigescente. Periculosum autem erat, quia concupiscentia, & negligentia prævalente, tam numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observant; & sic laqueus damnationis multis injiciebatur ex remotiorum graduum prohibitione. Satis etiam convenienter usque ad quartum gradum dicta prohibitio est restricta: tum quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt, ut sic non possit consanguinitatis memoria aboleri: unde Dominus in tertiam, & quartam generationem peccata parentum se visitaturum in filiis comminatur: tum quia in qualibet generatione nova mixtio sanguinis, cuius identitas consanguinitatem facit, fit cum sanguine alieno, & quantum miscetur alteri, tantum receditur à primo: & quia elementa sunt quatuor, quorum quodlibet ratio est facilius miscibile, quanto est magis subtile; ideo in prima commixtione evanescit sanguinis identitas quantum ad primum elementum, quod est subtilissimum; in secunda quantum ad secundum; in tertia quantum ad tertium; in quarta quantum ad quartum; & sic convenienter post quartam generationem postest iterari carnalis conjunctio.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Deus non conjungit illos qui conjunguntur contra divinum

(2) Al. eo quod quia, Nicolai: eo quod quia tunc temporis erat paucitas hominum, oportebat &c.
(3) Forte permaneret.

præceptum, ita non conjungit illos qui conjunguntur contra Ecclesiæ præceptum, quod habet eandem obligandi efficaciam quam & præceptum divinum.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium non tantum est sacramentum, sed etiam est in officium: & ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesiæ quam baptismus, qui est sacramentum tantum: quia sicut contractus, & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus, & officia spiritualia lege Ecclesiæ.

Ad tertium dicendum, quod quamvis consanguinitatis vinculum sit naturale, tamen non est naturale quod consanguinitas carnalem copulam impediat, nisi secundum aliquem gradum, ut dictum est; & ideo Ecclesia suo instituto non facit quod aliqui sint, vel non sint consanguinei, quia secundum omne tempus æqualiter consanguinei remanent; sed facit quod carnalis copula sit licita, vel illicita secundum diversa tempora in diversis gradibus consanguinitatis.

Ad quartum dicendum, quod tales rationes assignatæ magis dantur per modum adaptationis, & congruentiæ, quam per modum causæ, & necessitatis.

Ad quintum dicendum, quod jam ex dictis patet quod non est eadem causa secundum diversa tempora gradus consanguinitatis prohibendi: unde quod aliquo tempore utiliter conceditur, alio salubriter prohibetur.

Ad sextum dicendum, quod statutum non imponit modum præteritis, sed futuris: unde si modo prohiberetur quintus gradus, qui nunc est concessus, illi qui jam sunt in quinto gradu conjuncti, non essent separandi: nullum enim impedimentum matrimonio superveniens ipsum potest dirimere, & sic conjunctio quæ prius fuit matrimonium, non efficeretur per statutum Ecclesiæ stuprum: & similiter si aliquis gradus concederetur qui nunc est prohibitus, illa conjunctio non efficeretur matrimonialis ex statuto Ecclesiæ ratione primi contractus, quia possent separari si vellent; sed tamen possent de novo contrahere, & alia conjunctio esset.

Ad septimum dicendum, quod in gradibus consanguinitatis prohibendis Ecclesia præcipue observat rationem amoris: & quia non est minor ratio amoris ad nepotem quam ad patrum, sed etiam major, quanto propinquior est filio pater quam patri filius, ut dicitur in VIII. Ethic. cap. xi. vel xiv. propter hoc æqualiter prohibuit gradus consanguinitatis in patris, & nepotibus. Sed lex vetus in personis prohibendis attendit præcipue cohabitationem contra concupiscentiam, illas personas prohibens ad quas facilius pateret accessus propter mutuam cohabitationem. Magis autem consuevit cohabitare nepotis patruo quam amita nepoti: quia filia est quasi idem cum patre, cum sit aliquid ejus; sed soror non est hoc modo idem cum fratre, cum non sit aliquid ejus, sed magis ex eodem nascitur: & ideo non erat eadem ratio prohibendi neptem, & amitam.

EXPOSITIO TEXTUS.

Quia truncum inter gradus non computat. Truncum appellat consanguinitatis radicem, qui est pater filiorum. Principium autem alicujus generis potest accipi dupliciter. Uno modo prin-

cipium quod est in genere illo, ut si primam partem lineæ principium dicamus. Alio modo principium, quia non recipit generis prædicationem, sicut principium lineæ dicitur punctus: & hoc modo principium, & radix consanguinitatis potest dici dupliciter. Uno modo ipsa persona prima à qua consanguinitas dicitur, quæ persona non est consanguinitas, sed consanguinitatis principium, & secundum hoc filius qui distat à persona patris, facit primæ distantia gradum, & filius filii secundum, & sic deinceps. Alio modo prima consanguinitas quæ est causa omnis alterius consanguinitatis; & sic ipsa consanguinitas quæ est inter patrem & filium, radix ponitur, & computantur secundum hoc pater & filius pro uno principio, à quorum consanguinitate primo distat filius filii: & ideo hæc distantia facit primum gradum, & sic deinceps: & secundum hoc diversimode fit computatio graduum in littera. Sed primus modus computandi magis est in communi usu.

Sicut sex ætatibus mundi generatio, & hominis status finitur; ita propinquitas generis tot gradibus terminatur. Mundo non assignantur ætates quantum ad substantiam, quia sic in perpetuum durabit; sed quantum ad statum: sic enim transibit mundus, & sic antiquatur, & senescit; & secundum hoc distinguuntur

ætates mundi metaphorice ad similitudinem ætatis unius hominis. Variantur enim in homine ætates secundum diversas notabiles varietates in statu ipsius: unde prima ætas dicitur infantia usque ad septimum annum; secunda pueritia usque ad quartum decimum; tertia adolescentia usque ad vigesimum quintum; quæ tres ætates computantur quandoque pro una; quarta est juvenus usque ad quinquaginta annos; quinta vero ætas est senectus usque ad septuaginta; sexta senium usque in finem. Et similiter in mundo dicitur prima ætas ab Adam usque ad Noe, in qua fuit humani generis institutio, & lapsus; secunda à Noe usque ad Abraham, in qua fuit humani generis destructio per diluvium, & renovatio; tertia ab Abraham usque ad David, in qua fuit circumcissionis, & legis institutio; quarta à David usque ad transmigrationem Babylonis, in qua lex floruit sub Regibus, & Prophetis; quinta à transmigratione Babylonis usque ad Christum, in qua fuit populi captivatio, & liberatio; sexta à Christo usque ad finem, in qua est humani generis redemptio. Sed tamen non oportet quod æquali numero annorum mundi ætas humani generis compleatur, sicut nec ætas unius hominis: quia ultima ætas hominis quandoque habet tantum quantum omnes primæ.

DISTINCTIO XLII.

De gradibus affinitatis.

Nunc de affinitate videndum est, de qua Gregorius ait. (a) „Porro de affinitate quam dicitis parentelam esse, quæ ad virum ex parte uxoris, seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet, manifesta ratio est: quia si secundum divinam sententiam ego, & uxor mea sumus una caro, profecto mihi, & illi mea suaque parentela propinquitas una efficitur. Quocirca ego, & soror uxoris meæ in uno & primo gradu erimus; filius vero ejus in secundo gradu erit à me, neptis vero in tertio: idque utrinque in cæteris agendum est successionebus. Uxorem vero propinqui, cujuscumque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua femina propriæ propinquitatis sit: quod nimirum uxori meæ de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus convenit observare. Qui vero aliorum sentiunt, antichristi sunt.“ Item Julius Papa. (b) „Æqualiter vir jungatur consanguineis propriis, & consanguineis uxoris.“ Item Isidorus: „Sane consanguinitas quæ in proprio viro conservanda est, etiam in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est: quia constat eos duos fuisse in carne una: ideoque communis est illis utraque parentela.“ Item Julius Papa: „Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel uxoris usque in septimum generationis gradum uxorem ducere, vel incesti macula copulari: quia sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic nec de consanguinitate uxoris conjugem ducere propter carnis unitatem.“ Item Gregorius: „De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem observare. Nam & hæreditas rerum per legales instrumentorum diffinitiones sancita, usque ad septimum gradum hæredi protendit successionem. Non enim eis succederent, nisi (1) eis de pagine cognationis deberetur.“ His auctoritatibus insinuatur & quæ sit affinitas, & usque ad quem gradum sit observanda, scilicet usque ad septimum.

Variæ traditiones de affinitate.

SED alii videntur concedere in quinta generatione inter affines contrahi conjugium; & in quarta etiam, si contractum fuerit, (2) non separari. Ait enim Fabianus Papa, ut refertur in decret. causa xxxv. q. 111. cap. „De propinquis.“ „De propinquis, qui ad affinitatem per virum & uxorem veniunt, defuncta uxore, vel viro, in quinta generatione jungantur; in quarta si inventi fuerint, non separentur; in tertia vero propinquitatem non licet uxorem alterius accipere post obitum ejus. Æqualiter vir jungatur in matrimonio eis quæ sibi consanguineæ sunt, & uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris.“ Ecce hic conceditur in quinta, vel quarta propinquitatē affinium fieri conjugium. Julius etiam Papa ait, ubi supra c., „Ex hoc quoque.“ „Statutum in IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. deest eis. (2) In edit. Nicolai omittitur non.

Ex edit. P. NICOL. (a) Ex Gregorio refertur in Decretis causa xxxv. q. 3. cap. Porro, sed Zachariæ potius esse jam notatum est. (b) Quod subjungitur ex Julio Papa, & Isidoro, & iterum Julio Papa, sumptum est ex prædicta causa q. 111. cap. Æqualiter, cap. Sane, cap. Nullum: & quod infra ex Gregorio, est potius Concilii Meldensis, ut cap. De affinitate appendix notat.

est ut relictam patris uxoris suae, relictam fratris uxoris suae, relictam filii uxoris suae nemo sibi in matrimonium sumat; relictam (3) consanguineorum uxoris suae usque in tertiam progeniem nemo in uxorem sumat. In quarta vero, & quinta si inventi fuerint, non separentur. Ecce quam varie de affinitatis observatione loquuntur auctores. Alii enim usque ad septimum gradum eam observari sanciunt; alii vero in quinto, vel quarto matrimonium contracta non dividunt. Sed illi veritatis rigorem, isti misericordiae dispensationem videntur proponere. Potest enim Ecclesia dispensare in copula affinium usque ad tertium gradum, sicut Gregorius dispensavit in quarto gradu consanguinitatis. Illud autem non est praetereundum quod Gregorius Venerio Episcopo scripsit. (e) „Sedem apostolicam consulere decrevisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro conjuncta cognationi eius pertineat, si eo defuncto cognatio maneat, vel sub alio viro cognationis transire copulam. . . . Si una caro (4) fuerit, quomodo aliquis eorum potest (5) propinquo uni pertinere, nisi (6) pertineat alteri? Hoc minime posse fieri credendum est. Porro uno defuncto, in superstitie affinitas non deletur, nec alia copula conjugalis affinitatem copulae prioris solvere valet. Sed nec alterius conjunctionis soboles placet ad affinitatis prioris viri consortium transire. . . . Si quis ergo sacrilego, & temerario ausu in defuncto quarit propinquitatem extinguere, vel sub altero affinitatis vocabulo dissipare, vel susceptas soboles alterius copulae propinquitati prioris credit legitime sociari; hic negat Dei verbum validum esse, quod dixit, Gen. 11. 24. Erunt duo in carne una. Ecce hic prohibet, si mortuo primo viro uxor ejus alii nupserit, filios de secundo viro genitos ducere uxores de cognatione prioris viri: quia filii mediante matre ad cognationem prioris viri pertinent, cum quo mater eorum una caro extiterat. Hoc idem etiam Innocentius Papa (in Romana Synodo) ait: „Si qua mulier ad secundas nuptias transierit, & ex eis sobolem genuerit, nullatenus potest ad consortium cognationis prioris viri peringere. (7) Hoc autem observandum est usque ad septimum generis gradum; sed maxime usque ad tertium, & quartum, sicut supra positum est.“

Si conjugium sit inter eos qui nota consanguinitate dividuntur.

ET est sciendum, quod Ecclesia infra praedictos gradus consanguinitatis conjunctos separat. Si autem ignorerant conjuncti fuerint in conspectu Ecclesiae, & postmodum probata consanguinitate ejusdem judicio separati, quaeritur, utrum copula illa conjugium fuerit. Quibusdam videtur non fuisse conjugium, quia non erant legitima personae; sed tamen de crimine excusantur per ignorantiam, & quasi conjugium reputatur, quia bona fide, & per manum Ecclesiae convenerunt: unde & filii eorum legitimi habentur. Alii vero dicunt fuisse conjugium, licet non essent legitima personae: quia talium conjunctiones vocantur canones conjugia, ubi de personis agitur, quarum testimonio consanguineorum sit dirimenda conjunctio. Unde Urbanus Papa. (d) „Si duo viri, vel tres consanguinitatem jurejurando firmaverint, vel ipsi forte confessi fuerint, conjugia dissolvuntur. Si vero neutrum contigerit, Episcopi eos (8) per fidem Christi obtestentur, quatenus palam fateantur, si se recognoscunt consanguineos. Si se iudicio Episcoporum segregaverint, alia matrimonia non prohibeantur contrahere.“ Idem, ubi supra cap. „Notificamus.“ „Notificamus tibi, ut cum tres, vel duo ex propinquiorebus ejus qui accusatur, hanc propinquitatem juramento firmaverint, vel si duo, vel tres ex antiquioribus Januasibus, (9) quibus haec propinquitas est nota, qui bonae famae, & veracis testimonii sint, remoto amore, timore, pretio, & omni malo studio, praedicta firmaverint, sine mora conjugia dissolvantur. Consanguineos vero extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in Synodo computet; sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus, & veracioribus, quibus propinquitas nota sit, Episcopus canonice requirat: & si inventa fuerit, separentur.“ (e) Ecce quibus accusantibus, & testificantibus dirimenda sit consanguineorum conjunctio, quae conjugium vocatur.

Distinctio utilis.

HIC dicendum est, quod aliud est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus. Fornicatio licet sit genus omnis illiciti coitus qui fit extra uxorem, tamen specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. Stuprum proprie est virginum illicita defloratio. Adulterium est quasi alieni thori violatio: unde adulterium dicitur quasi ad alterius thorum accessio. Incestus est consanguinearum, vel affinium abusus: unde incestuosi dicuntur qui consanguineis, vel affinibus suis abutuntur.

(3) *Al. additur uxorem.* (4) *Al. fuerit.* (5) *Al. propinquus.* (6) *Al. pertinere.* (7) *Nicolai.* Item. „Si qua mulier ad secundas transierit nuptias, & filios & filias ad secundum maritum genuerit, eas nepotibus prioris mariti jungi Sancta Romana Synodus prorsus inhibuit, ut in alio capite subjungitur. Hoc autem observandum est usque ad septimum generis gradum, sed maxime usque ad tertium & quartum, sicut supra positum est.“ Unde Higinus Papa rursus ibi: „Si qua mulier transierit ad secundas nuptias, & ex eis prolem habuerit, ipsa proles non potest se copulare cognationi prioris viri usque ad quartam generationem.“ Et ad marginem. Mirum est an hoc Higinus possit esse qui ex antiquissimis Pontificibus fuit, & secundo saeculo vixit; cum longe posterius restrictio ad quartam generationem facta fuisse videatur. Nec indicatur locus ullus praedicta causa, & q. ubi praecedentia duo capita referuntur. (8) *Nicolai:* per baptismum, per fidem per iudicium Christi. (9) *Nicolai:* idest Genuensibus.

EX EDIT. P. NICOL. (c) Refertur in Decretis causa indicata q. x. cap. *Fraternitatis*, & Venerio Episcopo Calaritano inscribitur. Sed extrat quidem brevis aliqua epistola inter Gregorianas Venerio Episcopo inscripta sine additamento *Calaritano* Lib. X. epist. xviii. nihil tamen in illa huc pertinens, ut nec in epistolis quae multae passim Januarii Episcopo Calaritano inscribuntur. (d) Ut refertur in Decretis causa xxxv. q. vi. cap. *Si duo* ex Concilio Urbani Papae in Apulia celebrato. (e) Ut Fabianus Papa dicit eadem causa xxxv. q. vi. cap. *Consanguineos*; ubi quid est consanguinitatem in Synodo computare, nisi causam probandam in Concilio Episcoporum; vel consensu iudicium suscipere puta enumerando gradus quibus constat?

tuntur. Raptus admittitur, cum puella violenter a domo patris educitur, ut corrupta in uxorem habeatur, sive puellae, sive parentibus vis illata constiterit: & hic morte mulctatur; sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, privilegio Ecclesiae mortis impunitatem meretur. Attendendum etiam illud Alexandri, qui ait: (f) „Quod frater, sororve uxoris tuae cognati dicuntur, aequivocationis jure fit, & necessitate vulgaris appellationis potius quam ulla cognationis causa. Uxor enim fratris fratrisa potius quam cognata vocatur. Mariti frater levit dicitur. Duorum fratrum uxores janitricae vocantur, (10) quasi eandem januam intrantes. Viri soror glos appellatur. Sororis autem vir non habet speciale nomen, nec uxoris frater.“

DIVISIO TEXTUS.

POSTquam determinavit Magister de consanguinitatis impedimento, hic determinat de impedimento matrimonii quod provenit ex affinitate: & dividitur in partes duas. In prima ostendit quomodo affinitas matrimonium impedit. In secunda docet affinitatis nomina, ibi: *Attendendum est etiam illud Alexandri etc.* Prima in tres. In prima ostendit quomodo affinitas matrimonium impedit, sicut & consanguinitas. In secunda ostendit quomodo matrimonium propter consanguinitatem, & affinitatem sit separandum, ibi: *Et est sciendum, quod Ecclesia infra praedictos gradus consanguinitatis conjunctos separat.* In tertia determinat de incestu, quo consanguinitatis, & affinitatis foedus per carnalem copulam violatur, per differentiam ad alia vitia ejusdem generis, ibi: *Hic dicendum est, quod aliud est fornicatio, aliud stuprum etc.* Prima in duas. In prima ostendit quod affinitas ex matrimonio contracta impedit matrimonium. In secunda inquirat, utrum affinitas maneat matrimonio transeunte, quod ejus causa erat, ibi: *Illud etiam non est praeterrittendum quod Gregorius Venerio Episcopo scripsit.* Prima in duas. In prima ostendit usque ad quot gradus affinitas matrimonium impedit, sicut & consanguinitas. In secunda objicit in contrarium, & solvit, ibi: *Sed alii videntur concedere in quinta generatione inter affines contrahi conjugium.*

QUESTIO I.

HIC quaeruntur quinque.

Primo. De causa affinitatis.

Secundo. Utrum impediatur matrimonium, sicut & consanguinitas.

Tertio. De illegitimitate filiorum quae ex impedimento matrimonii causatur.

Quarto. De incestu quem ex violatione consanguinitatis, & affinitatis incurrit aliquis.

Quinto. De separatione matrimonii quae fit propter consanguinitatem, vel affinitatem.

ARTICULUS I.

Utrum ex matrimonio consanguinei affinitas causetur.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod ex matrimonio consanguinei affinitas non causetur. Quia propter quod unumquodque, illud magis. Sed mulier ducta per matrimonium non conjungitur alieni de consanguinitate viri, nisi ratione viri. Cum ergo non fiat viro affinis, nec alicui consanguineorum viri affinis erit.

2. Praeterea. Eorum quae sunt ab invicem separata, si uni aliquid jungatur, non oportet propter hoc quod sit alteri conjunctum. Sed consanguinei jam sunt ad invicem separati. Ergo non oportet quod

(10) *Nicolai:* quasi eandem januam terentes, vel per eandem januam intrantes.

EX EDIT. P. NICOL. (f) Quod ex Alexandro subjungitur, sumptum est ex cap. *Quod autem fratres* causa xxxv. q. v. ubi ex Alexandro II. praenotatur.

si aliqua mulier jungatur alicui viro, propter hoc jungatur omnibus consanguineis ejus per affinitatem.

3. Praeterea. Relationes ex aliquibus unionibus innascuntur. Sed nulla unio fit in consanguineis viri, per hoc quod ille ducit uxorem. Ergo non accrescit eis affinitatis relatio.

Sed contra. Vir & uxor efficiuntur una caro. Si ergo vir secundum carnem omnibus consanguineis suis attinet, & mulier eadem attinebit eisdem.

Praeterea. Hoc patet per auctoritates in littera inductas.

QUESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod affinitas non manet post mortem viri inter uxorem & consanguineos viri. Quia cessante causa cessat effectus. Sed causa affinitatis fuit matrimonium, quod cessat in morte viri: quia tunc solvitur mulier a lege viri, ut dicitur Rom. vii. Ergo nec affinitas praedicta manet.

2. Praeterea. Consanguinitas causat affinitatem. Sed consanguinitas cessat per mortem viri ad consanguineos suos. Ergo & affinitas uxoris ad eos.

Sed contra. Affinitas ex consanguinitate causatur. Sed consanguinitas est perpetua in vinculum quamdiu personae vivunt, inter quos est consanguinitas. Ergo & affinitas; & ita non solvitur affinitas soluto matrimonio per mortem tertiae personae.

QUESTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod illicitus concubitus affinitatem non causet. Quia affinitas est quaedam res honesta. Sed res honesta non causatur ex inhonestis. Ergo ex inhonesto concubitu non potest affinitas causari.

2. Praeterea. Ubi est consanguinitas, non potest esse affinitas: quia affinitas est proximitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela. Sed aliquando contingeret ad consanguineos, & ad seipsum esse affinitatem, si illicitus concubitus affinitatem causaret, sicut quando homo carnaliter consanguineam suam incestuose cognoscit. Ergo affinitas non causatur ex illicito concubitu.

3. Praeterea. Illicitus concubitus est secundum naturam, & contra naturam. Sed ex illicito concubitu contra naturam non causatur affinitas, ut jura determinant. Ergo non ex illicito concubitu secundum naturam tantum.

Sed contra est quod adhuc meretrici unum corpus efficitur, ut patet I. Corinth. vi. Sed ex hac causa matrimonium affinitatem causabat. Ergo pari ratione illicitus concubitus.

Praeterea. Carnalis copula est causa affinitatis, ut patet per diffinitionem affinitatis, quae talis est: *Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.* Sed carnalis copula

(10) *Nicolai:* quasi eandem januam terentes, vel per eandem januam intrantes.